21

(21)

IN FVNERE

PII VII PONT. MAX.

INSCRIPTIONES

CAIETANI VINCENTII ROGIANII

NEAPOLI
EX PACIANO TYPOGRAPHIO
CIƆIƆCCCXXIII

EMINENTISSIMO AC REVERENDISSIMO DOMINO

DOMINICO SPINVCIO

S. R. E. CARDINALI BENEVENTI ARCHIEPISCOPO

CAIETANVS VINCENTIVS ROGIANIVS

S. P. D.

Quum breves hasce Inscriptiones pro PII VII Funere exaratas praelo subiicere decrevissem, et alicui magni nominis viro optarem inscribere et nuncupare; ob illam maximam studiosae voluntatis Tuae in Pontificem eximium, incomparabilem praeclareque de Te meritum significationem et eam, qua me a primula iuventute prosequutus es, benevolentiam, minime ingratam rem facturum esse autumavi, si eas Tibi offerrem et dicarem. Munusculum igitur, meae erga Te observantiae testimonium, ut aequi bonique facias nec asperneris, etiam atque etiam rogo. Vive, Cardinalis Amplissime, et vale. Deus O.M. Ecclesiae bono Te quam diutissime servet.

Postrid. Kal. Sept. CIƆIƆCCCXXIII

PRO FORIBVS TEMPLI

PIO . VII

PONTIFICI . APOSTOLICIS . VIRTVTIBVS
INVICTA . IN . PRIMIS . ANIMI . FORTITVDINE
ARDENTIQVE . RELIGIONIS . TVENDAE . STVDIO
VERE . MAXIMO
PARENTATVR . MORE . MAIORVM

QVOTQVOT . ADESTIS . OMNES
ANIMAE . INCOMPARABILI
PACEM . ET . REQVIETEM . EXPOSCITE

IN FACIE ANTICA TVMVLI

PIO . VII . PONTIFICI . MAXIMO

E . VETVSTISSIMA . CLAROMONTIA . GENTE
QVI . SVB . BENEDICTINORVM . DISCIPLINA . EDVCATVS
POST . VARIOS . MVNERVM . GRADVS
IN . SVO . ORDINE . INTEGERRIME . DECVRSOS
PRIMVM . TIBVRTINAM .
DEIN . PVRPVREO . GALERO . EXORNATVS
FOROCORNELIENSEM . ECCLESIAM
SANCTISSIME . GVBERNAVIT
TANDEM . CVNCTIS . CARDINALIVM . SVFFRAGIIS
SVMMVS . PONTIFEX . RENVNCIATVS
TOTO . XXIV FERE . ANNORVM . SPATIO
VIGILANTIAE . MODESTIAE . TEMPERANTIAE
EFFVSISSIMAEQVE . IN . PAVPERES . LIBERALITATIS
OMNIBVS . ANIMARVM . PASTORIBVS
ADMIRANDA . EXEMPLA . RELIQVIT
HVIC . DE . CHRISTIANA . REPVBLICA . OPTIME . MERITO
SVPREMA . FVNERIS . OFFICIA . PERSOLVVNTVR

VIXIT . ANNOS . LXXXI DIES . VI
DECESSIT . XIII KAL. SEPT. CIↃIↃCCCXXIII

AD LATVS DEXTRORSVM

INTER . EXIMIAS . PII . VII . VIRTVTES
NON . VLTIMVM . FORTITVDO . LOCVM . HABVIT
QVA
INIQVIS . OBSISTENS . GALLORVM . POSTVLATIS
BONORVM . SVORVM . SPOLIATIONEM . EXILIVM
CVNCTA . DENIQVE . ADVERSA . PATI . MALVIT
QVAM . IVRA . ECCLESIAE
TVRPITER . PRODERE

AD LATVS SINISTRORSVM.

DE . RELIGIONE . POPVLORVMQVE . COMMODIS.
SVMMOPERE . SOLLICITVS.

PIVS . VII

PACTIS . CVM . FERDINANDO . SICILIAE . REGE
ALIISQVE . EVROPAE . PRINCIPIBVS . INITIS
SACERDOTII . ET . IMPERII . IVRA . DEFINIVIT
NIHILQVE . SIBI . RELIQVI . FECIT
QVO . ECCLESIASTICAE . DISCIPLINAE . DIGNITAS.
SVBLATA . OMNI . DISSENTIONIS . MATERIA
INTEGRA . SIBI . CONSTARET

IN POSTICA FACIE TVMVLI

CARNEM . ET . SANGVINEM . MINIME . RESPICIENS
TOTO . SVI . PONTIFICATVS . TEMPORE

PIVS . VII

ET . AB . ORNANDIS : DITANDISQVE . CONSANGVINEIS
QVAM . MAXIME . ABHORRVIT
ET . ECCLESIASTICA . MVNERA
OMNI . POSTHABITA . GRATIA . VEL . COMMENDATIONE
VIRIS . DVMTAXAT . DIGNIORIBVS
PATERE . VOLVIT